

Q. D. B. V.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO ATQUE ELECT. SAXON.  
HEREDE, ETC. ETC. ETC.

DE

RATIONE,  
IN REBVS NATVRALIBVS RE-  
VELATIONI PLVRIMVM  
CERTITVDINE CEDENTE,  
IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA  
different

PRÆSES

M. IOHANNES IACOBVS *Serber*  
Argentoratensis,

ET RESPONDENS

IOANNES HENRICVS *Schönbach*  
Prato - Vallengis Misnicus.

AD DIEM XXVII JUL. ANNO *cl* *lv* CC VII,

H. L. Q. C.

VITENBERGAE,  
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

Coll. diss. A  
33, 29

*g*  
a. *xxxxiii. 29*

RECTOR ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMO  
REVERENDISSIMO PATRI NO DOMINO

FRIDERICUS AUGUSTUS  
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE  
HABITUS THEOLOGICUS

RATIONE

IN REBUS NATURALIBUS RE  
VERA HOC PER RATIONEM  
CERTITUDINE CEDENTE  
RATIONALIUM ACADEMIA



M. JOHANNES JACOBUS  
JOHANNES HEINRICH  
AD HOC HONOREM  
HABITUS THEOLOGICUS

THEOLOGICUS  
HABITUS THEOLOGICUS

A. 1703. III. 20



## Præfatio.

**F**edito non ita pridem, Divinâ Gratiâ, Specimine Physico sub Præsidio Spectabilis DECANI, Magnifici Dn. D. ROESCHELII, ad aliud nunc progredimur, quod Dominis Commilitonibus sine Doctore Præside ad defendendum proponimus, quo non solum Laudatissimis Amplissimæ Facultatis Philosophiæ Legibus, ac Consuetudini utiliter receptæ, morem geramus, sed etiam rite atq; bono consequamur ordine, quod Superiorum instinctu demissa postulavimus mente. Placuit autem Amplissimo Domino Professori Physices, cum thema aliquod ab Ejus Magnificencia exorarem, sequens ad elaborandum nobis proponere, quod *Rationem in rebus Naturalibus Revelationi plurimum Certitudine cedentem* demonstrat: Hujus felici eventu ut summum in Coelis Numen beare nos velit, piis nunc expetimus votis. Scias, autem Benevole Lector, nos hunc observaturos esse ordinem, ponendo primo omnium rerum controversiæ statum, subjungendo nostram deinde sententiam, & denique refutando opinionem adversariorum, illorumque argumenta diluendo.

A 2

§. I. Cum

§. I.

Cum in accurata status controversiæ formatione multum situm sit, imo sæpenumero totum conficiat rei momentum, & nos quoque impræsentiarum de ea erimus solliciti, præsertim cum thema nostrum ita comparatum existat, ut omissio ejus non nisi sententiarum confusionem inferat, qua Veritas certe non eruitur, sed potius obruitur. Vnde decet sedulos Veritatis amatores cuncta omnino adhibere media, quibus ad Veritatis scopum metamque contendere valent. In examine autem præsentis hujus Thematis nostri potissimum *Rationis* vocabulum, ejusque expositio solidum controversiæ statum juvabit. Non enim nos latet, illud varios admodum subire significatus, ut mox *philosophia* sustineat vicem, mox ipsam delineet *naturam*, quomodo sic Cartesiani hæc promiscue usurpant nomina, quamvis accuratiori loquendi modo distinguenda sint. Non enim negari potest, quod aliud quid audiatur *ratio*, quæ philosophatur, & aliud quid *natura*, de qua ratio philosophatur, ut proinde perperam Cartesiani vocibus hisce æqualem tribuant valorem. Nostrum est, accuratiori penna prosequi præsentem hanc materiam, facimus ergo, quod debemus.

§. II. Nullum proinde existimamus esse dubium, quin tria hæc vocabula, *Ratio*, *Natura* ac *Philosophia*, suum agnoscant discrimen, adeoque de una pronunciari nequeat voce, quod de aliis dicitur, sed diversum omnino certitudinis modum gignant. *Ratio* nobis in præsentem organon designat, ope cujus homo e naturalibus seu rebus creatis philosophiam format, quo ipso non *rationem in idea* intendimus, quæ ante hominis lapsum in statu innocentiae locum habuit, & perfecta  
admo-

admodum fuit, sed illam in *natura* intelligimus, quæ nunc in hominem post tristissimum ejus à Deo secesum cadit, ac imperfecta valde & sauciata audit in naturalibus, plane vero & plene coeca in spiritualibus. *Nature* nomine creaturæ veniunt, quas ratio philosophans lustrat, atque sub examen revocat, & ejusmodi res creatæ, de quibus ratio philosophatur, infallibili nituntur veritate, eamque connatam habent, ut nihil sit, quod non veram agnoscat essentiam, debitamque ejus convenientiam. Denique *philosophia* titulo effata seu philosophemata insigniuntur, quæ proprie id, quod philosophia dicitur, constituunt, quæque de rebus creatis ratio format, ut proinde non solum relationem dicant ad naturam sive res creatas, verum etiam ad rationem, quâ mediante ex objectis illa colliguntur.

§. III. Ex hactenus dictis, & data aliquali vocum harum declaratione, nunc facile apparet, quomodo inter se invicem distinguantur, ut ita minime eadem certitudo atque *Veritas Rationi* sit adscribenda, ac ipsi *natura*, quæ certam infallibilemque in se habet veritatem, nequaquam vero *ratio*, quæ potius in statu destitutionis suæ imperfectionis bene sibi conscia est, ut non semper assequi queat veritatem, quamvis omnem omnino adhibeat operam, quin potius illud commune valeat effatum: Nemo ab omni parte existit beatus. Et, licet *Ratio* atque *Philosophia* in scriptis Philosophorum sæpe audiant Synonyma, improprie tamen id fit, & per Metonymiam, causæ scilicet pro effectu, cum negari non possit, *Rationem* in philosophia causæ nomine venire, philosophemata vero effectum *Rationis* esse, quem illa producit. Quæ tamen differentia non adeo in præsent

senti themate à nobis attenditur, sed potius in positione status controversiæ *Rationem & Philosophiam* conjungemus, ac cum certitudine *Revelationis*, utrum eandem vel parem habeant, conferemus.

§. IV. Præmissis hisce ad formationem ipsius controversiæ status nunc quoque properamus, quo appareat, nos debita legitime disputantium observare officia, neque pro more Cartesianorum cum illis λογισμαχείν. Ponimus autem præsentem thematis nostri controversiæ statum primo κατ' ἀρχήν, deinde vero κατὰ θεσίαν. Non igitur inter nos & Cartesianos quæstio est, *utrum æqualis sit certitudo Veritatis, prout consideratur in ipsa Natura & creaturis reperitur, & Revelationis, prout in Scripturis extat.* Sed hic est genuinus inter nos & illos controversiæ status, *An æqualem Ratio nostra rerum naturalium attingat certitudinem, ac ipsa revelatio, adeoque æqualis sint rationis & revelationis pronunciata, ut nullam hæc præ illa Certitudinis majoris obtineat prærogativam?* Affirmativæ sententiæ partes arripiunt Cartesiani, injurii certe in Sacram Scripturam, Ejusque Sanctitatem atque Veritatem. Nos negantium castra sequimur, atque sic infallibili Scripturæ Sacræ Veritati, & piam exhibemus venerationem, & debitam simul assignamus certitudinis prærogativam, quod, quoad hoc, nobis probare, quoad illud, refutare nunc incumbit.

§. V. Sive Philosophicum de themate nostro feramus judicium, & ex ratione petitum, sive Theologiam consulamus, quo sit eundum tramite, ut ad Veritatis viam pervenire liceat, certe haud ad aliam utriusque lumine ducimur sententiam, nisi negativam, ut minime æqualis certitudo admitti possit inter *rationem & revelationem.* Hinc passim tot querulæ etiam audiuntur voces, quæ  
de

de imperfecto *Rationis* processu, ejusque magna in assequenda veri cognitione infelicitate, fidele admodum perhibent testimonium, ut certe & magni Nominis philosophi sponte professi fuerint, se in penetrandis rerum naturis, detegendisque iis, non semper accuratos Veritatis indagatores egisse, sed sæpius à *ratione* sua fuisse defraudatos, cui proinde plus tribuerunt, quam æquum fuit. Nec ullum unquam inter Philosophos dari potest exemplum, quo rectissimus *rationis usus*, quem Cartesiani adeo evehunt, demonstratur. Mâneat Platonem debita laus, & habeatur à nobis in veneratione Aristoteles, nec ipsi Cartesiani suo defraudentur titulo, absit tamen ut de horum, Clarissimorum licet, Virorum scriptis sic judicemus, ac si cuncta *rectissimam* agnoscant *rationem*, ex qua philosophemata fluxere, quin potius dicamus, & corruptam sæpe in illis loqui *rationem*, ita, ut si nunc existerent, sine dubio, juxta tritum illud effatum, *posteriores cogitationes meliores esse*, proclamarent.

§. VI. Frustrà ergo quæritur, quod inveniri nequit, ut ita philosophi isti non nisi jactatores & animalia gloriæ sint, juxta Celeberrimum LEYDECKERVM in Face Veritatis, qui in idea suam ponunt *philosophiam* atque *rationis exercitium*, cum omnimoda vera *ratio philosophans* non detur, sed in Democriti puteo demersa jaceat. Errat enim & fallit in multis, ita ut nullo non tempore fallibilitatis suæ debeat esse conscia. Optandum quidem foret, ut *ratio humana* lumine naturali recte semper uteretur, sed ejus abusus, proh dolor! sæpe magnus est, quo multoties Veri nomine non venit, quod tamen *humana* dicitur *ratio*. Neque, post tristissimum primi hominis lapsum, tanta *conceptibus humanis* assignari potest perfectio, qua velut ab erroribus liberantur, quando  
quidem

quidem talis non solum præsentì hominum conditioni, verum etiam quotidianæ infallibilis Veritatis experientia, repugnat, quæ satis superque testatur, *rationem humanam* Veritatem, in Natura patefactam, sæpius neque videre, neque capere, consequenter ejus certitudinem in rebus naturalibus infirmam admodum audire, ac minime esse dignam, quæ cum *Revelatione*, infallibilitatis teste, conferatur, aut, quod pejus est, æquiparetur.

§. VII. Atque hunc nostrum circa *Rationem humanam* discursum confirmat ipsa quoque Vox Divina, in sacra pagina expressa, quæ non solum in spiritualibus, verum etiam rebus naturalibus, *rationem* nostram imperfectio- nis accusat, ut non tam falli & fallere possit, quam quæ ipsa sæpius fallatur atque fallat, qui sane error ex rationis cæcitate, ἀρρώστια atque perversitate, suam trahit originem, dum vitioso effectui perfectam causam adscribere nequimus, quin potius cum sana philosophia identitatem relatorum asserimus, ut effata *rationis* falsa, nonnisi perversa quoque excipi possit *ratio*. Et hinc etiam est, cur in judicio Divino omnis homo mendax appelletur, quo soli Deo sola relinquatur infallibilitatis gloria, cum præter EVM nemo sit ἀψευδής καὶ ἀσφαλής, sed solus & falli & fallere nescius. Certiora proinde & effata Dei esse quibusvis *ratiocinationibus humanis*, tantum abest, ut dubitemus, ut potius dicto isti i Joh. V, 9, firmum nostrum præbeamus assensum: Εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τῶ θεῶ μείζων ἐστίν. *Si testimonium humanum accipimus, testimonium Dei majus est.* Quo major enim testis relinquatur autoritas, eo major quoque testimonii valor censeri debet. Sed allegasse modo hæc sufficiat. Fori enim nostri Theologica non facimus.

§. VIII.



§ VIII. Utinam vero hoc Cartesianorum multi-  
 pie secum perpenderent, ac diligentius *rationis* pariter  
 atque *revelationis* examen instituerent, quam hactenus  
 proh dolor! ab ipsis factum est; Certe non tam pra-  
 vae nomina sua darent sententiae, evehendo sic *Ra-  
 tionem* contra Veritatem & testimonium Scripturae  
 Sacrae, quin potius insigniter omnibusque modis *Re-  
 velationem* praerferrent *Rationi*. Indigne sane Cartesi-  
 anorum nomen gerunt, cum non sectatores Carte-  
 sii agant, sed potius ab ipso hac sua recedant opinio-  
 ne. *Castius enim* (verba sunt Doctissimi LEYDEC-  
 KERI in Face Veritatis p. m. 27.) *philosophari visus fuit*  
*Cartesius ipse, ubi vult & inculcat, ea, quae sunt fidei &*  
*Revelationis Divinae, ita esse preferenda rationi ejusq; di-  
 ctamini, ut extra omnem dubitationis aleam remaneant, &*  
*quidem ipsi rationi renuntietur, ubi illis clarissime repugna-  
 re videtur.* Quam Cartesii sententiam, ceu veram & mo-  
 destam, confirmat citatione alius loci Petrus van MA-  
 STRICHT, in Theologia Cartesiana pag. 34. his verbis:  
*Præter cetera autem memoriae nostra pro summa regula est*  
*insigendum, ea, quae nobis à Deo revelata sunt, ut OMNIVM*  
*certissima esse credenda, & quamvis forte lumen rationis*  
*quam maxime clarum & evidens aliud quid nobis suggere-  
 re videretur, soli tamen auctoritati divinae potius, quam*  
*proprio judicio, fidem esse adhibendam.* Pia certe hæc au-  
 diunt verba, quibus Cartesius rotundo profitetur ore,  
 testimonium *rationis* minime parem cum testimonio  
 Divino, quod *Revelationis* est, obtinere certitudinem.  
 Quam inæqualitatem & ipse Clarissim. D. WITTI-  
 CHIVS in frontispicio statim cap. 4. agnoscere cogi-  
 tur, dum sequentia ponit verba: *Ratio humana ita de-*  
 B bet

bet subjici revelationi, ut, etiamsi ea aliud quid maxime clarum & evidens suggerere videretur, soli tamen auctoritati divine potius, quam nostro iudicio, fides sit adhibenda. Atque sic non solum Cartesianorum sententiæ repugnat, verum etiam sibi ipsi contrarius est, dum aliis in locis rursus negat, quod hic claris concesserat verbis, uti mox videbimus.

§. IX. Inquirimus autem in causas, cur ita Cartesiani *Rationis usum* evehant, ut fere supra ipsam eum collocent *revelationem*. Forte non erramus, si inter alias causas has duas potissimum huic assignemus errori, quarum altera desumitur à *perfectiōne Rationis*, quam frustra Cartesiani sibi fingunt. Non enim dubitant, hominem eo posse hic pertingere, ut nunquam erret. Quo spectant clara D. WITTICHII verba in Differt. I. de Stylo Script. cap. I. expressa: *Lumen rationis, cujus recto usu in naturalibus ita licet procedere, nihil admittendo, nisi quod cum eo conveniat, ut, etsi non omnium rerum naturalium acquiramus cognitionem, nobis queamus CAVERE, NE IN ERRORES incidamus.* Quæso, nonne hisce verbis Clarissimus Vir deponere quasi videtur, conditionem suam humanam, quam sic beatam secum reputat, cum tamen ab ea erroris nihil sit alienum. Extollit Is *Rationem* mirum in modum, quam alii tristi admodum deplorant voce, quod in Divinis sic cæca, & in humanis sic infirma existat. Ergone Doctissimus alias Vir id ignorat, quod tamen ipsa eloquitur Veritas, qua Philosophi pariter ac Theologis inducti, unanime rationis depravatæ ferunt suffragium; Aristotelem, magnum licet artis suæ leonem,

nem,

nem nihilominus audimus conquerentem, quod ratio humana ad res percipiendas non alio sese habeat modo, ac nycticoracis oculus ad intuendum solem, Theologos cernimus passim in Scriptis suis docentes, quam misere post lapsum nostra nunc se habeat *ratio*, ejusque usus, qui in maximos inclinatur errores, quos tristissima confirmatos sistit experientia, ut proinde non nisi imaginaria audiat illa *Rationis* Felicitas, quam tantopere gloriosa Cartesianorum lingua prædicare contendit.

§. X. Accedit *falsus* quoque de Deo conceptus, qui alterius causæ nomine erroris hujus, quem Cartesiani fovent, venire potest. Audent enim disertis dicere verbis: *Deum, si velit, posse fallere*. Vti sic nominatim procedit D. WOLZOGIVS Concionator Cartesianus de Interp. Scrip. §. 24. *Sufficit, inquit, Deum dixisse, ut sciamus Eum fallere nolle, dico nolle Eum fallere, ne credatis, non posse, si velit*. Sed qua pietate, quave Conscientia id faciant Cartesianorum nonnulli, sane ignoro. Hoc interim ceu certum manet, illos hac sua hypothese *revelationis* infallibilitatem satis luxare, neque sic consequenter de Scriptura Sacra sentire, uti tamen eos decet. Certe, stante hac Cartesianorum sententia, fundamentum omnis omnino infallibilitatis, cujuscunque etiam nomine veniat, evertitur. *Si enim* (verba sunt Viri Clarissimi Petri van MASTRICHT, in Theol. Cartes. p. m. 58.) *Deus fallere potest, quid tandem aut que Scriptura erit certa & infallibilis?* quin potius hoc ipso *Rationem*, quam quasi infallibilem propugnant Cartesiani, *revelationi* præferent,

ut proinde mirum non fit, quod in multis *Revelationis* certitudinem à *ratione* suspendant, tanquam iudice, principio atque fundamento, quemadmodum hæc impia est doctrina D. WOLZOGII de interpret. Script. ubi pag. 22. sic docet: - - - *Etsi enim babeant in Revelatione fontem, QVICQVID inde profluit, RATIONI ACCEPTVM FERRE DEBET.* Quem D. BVRMANNVS, nescio quo Spiritu tractus, in Synops. Theol. lib. I. cap. 12. §. §. 29. 38. 39. 40. sequitur. Quo ipso manifestissime non solum *Revelationis* certitudo evertitur, verum etiam ipsi *Rationi* major assignatur certitudo, quam *Scripturæ Sacræ*, dum, quoad istam *Revelationem* à *ratione* pendere, impio pronunciant ore.

§. XI. Videbimus nunc paucis adhuc de testimoniis Cartesianorum, illorumque argumentis, quibus thesin suam firmatam corroboratamque esse vanis jactitant verbis. Nullam certe adversariis nostris facimus injuriam, quando illis hanc imputamus opinionem, quod sic splendide *rationis usum* evehant, ut æqualem (addo & majorem) cum *Revelatione* obtinere dicant certitudinem. Adsunt effati hujus testimonia luculentissima, quorum unum vel alterum hic afferre, operæ pretium erit. Primo autem loco ponimus illud, quod D. WITTICHIVS in Theol. Pacif. pag. 94. in medium protulit, his comprehensum verbis: *Certitudo eadem est, sive ex ratione, sive ex Scriptura oritur.* Huic subjungimus aliud, quod ex Disputatione Leidæ habita Anno 1677. d. 31. Jan. patet, ubi disputantes Cartesiani §. 6. aperte fatentur: *Quoad veritatem Theologiae præ Philosophis, fidei præ ratione, nulla potest esse prerogativa.* Ut de cæte.

cæteris brevitatis causa nunc taceamus, sane vel hæc duo saltem Cartesianorum testimonia satis demonstrant, illis *Rationem* proinde certam audire ac *Revelationem*. Verum enim vero relinquimus Novatoribus hæc superbam suam mentem, & non nisi vanam judicamus *rationis naturalis* cum *revelatione* collationem, cum non solum omni destituatur fundamento, sed insuper etiam orthodoxam hypothesin de *naturalis rationis* corruptione penitus evertat, uti vel ex iis, quæ hæctenus dicta sunt, satis constare poterit, ita ut prolixiori dogmatis hujus non tantum manifeste falsi, sed impii etiam, refutatione haud opus sit.

§. XII. Sed non contenti sunt Cartesiani hac æquali certitudine, quam inter *Revelationem* atque *Rationem* obtinere dicunt, ulterius progrediuntur, & quo eo majus *rationi* suæ concilient pondus, eam perinde etiam *Revelatam* statuunt à Deo. Ita expresse docet D. WITTICHIVS in Theol. Pacif. §. 134. cujus verba hæc sunt: *Ratio enim recta ABQUE pendet à Deo ac REVELATIO, imo que per rectam rationem cognoscimus interne, censendus est Deus nobis REVELARE, utpote qui Autor est istius usus rectæ rationis.* Quid hic Vir Clarissimus per *rectam rationem* intelligat, & quousque sese extendat, lubenter sciremus. Nobis videtur, D. WITTICHIVM cum illis pariter, qui eandem tenent sententiam, iisdemque utuntur phrasibus falso semper niti principio, dum illi de *vera* loquuntur *Philosophia* seu *Sapientia*, de *ratione recta*, cum tamen in quæstione sit, an ejusmodi perfecta & in idea considerata detur, quin potius illam sibi imaginentur. Pro-

bent prius, talem *rationis naturalis* seu *Philosophia* *rectitudi-*

*nem* dari, quæ jure meritoq; fundamenti loco stare potest, sicut *revelatio*: hoc si præstiterint, victas statim dabimus manus. Sed frustra ab ipsis hoc postulamus, cum inepte statuatur talis *recta ratio* in homine corrupto, unde etiam inæqualis relinquitur *rationis rectæ* atque *Revelationis* dependentia à Deo, quandoquidem *Revelatio* principium omnis Veritatis denotat, quod infallibile idcirco audit, minime vero *ratio naturalis*, cui proinde tam firmiter quis inniti nequit, ac ipsi *Revelationi*. Accedit porro & alterum falsum, quod in se D. WITTI-CHII verba continent, nimirum: *quod, quæ per rectam rationem cognoscimus interne, censenda sint revelari à Deo*. Negamus hoc cum B. OSIANDRO in Colleg. Confid. in dogm. Theol. Cartes. pag. 19. *non enim revelantur, quæ cognoscimus interne à Deo, sed naturali perspicacia attinguntur, nec semper dextre, sincere & absq; facibus carnis affluentibus*. Sic etiam constat, modum revelandi diversum esse, *quatenus naturalia* (verba sunt Viri Doctissimi PETRI van MASTRICHT in Theol. Cartes. p. m. 57.) *Deus non revelat, nisi partim monstrando objecta, partim elevando cognoscendi facultatem, ut ipsa ab objectis scientiam naturalem sibi hauriat, dum contra Veritates Divinas Propbetis & Apostolis sic Deus revelaverit, ut veritates ipsas mentibus eorum quasi instillaverit*.

§. XIII. Ut nunc reliqua *Rationis* elogia silentio prætereamus, quæ ipsi ad Majestatem creandam attribuunt, quando porro Eam *Divinam* appellare, ut & ipsis *Propbetis* exæquare, imo quoad *evidentiam rei* ipsa Theologia *superiorem* agnoscere non dubitant, quemadmodum hæc omnia propriis ipsorum Novatorum testimoniis confirmat jam sæpius à nobis citatus Dn. Prof. Petrus van  
MA.


MASTRICHT in Theol. Cartes. p. 52. Cum enim cuncta hæc effata non sine summa impietate de *Ratione* contra infallibile Divini Verbi testimonium pronunciari queant, frustra certe ulla refutationis opera digna habentur. Neq; opus esse existimamus, ut nos, tanquam brevitatis amantes, ea repetamus, quæ optime jam à Viris Doctissimis contra impiam hancce Cartesianorum opinionem notata sunt, quibus satis superq; ostensum est, quod hac sua sententia in maximas prolabantur absurditates, è quibus impossibiliter sese extricabunt. Conferri hanc in rem meretur D. LEYDECKERVS in Face Veritatis pag. 16. & 17. itemq; supra Laudatus Dominus Professor in Theol. Cartes. pag. 59. & seq. qui septem potissimum absurditatibus hanc Cartesianorum novitatem exponit.

§ XIV. Firmo igitur denuo sententia nostra stat talo ut eam Cartesianorum novitas evertere minime valeat, *nec dubitandum*, ut cum Doctissimo MARESIO loquar, citato à D. WITTICHIO in Theologia Pacif. defensa p. m. 276. *quicquid contra fingatur à Cartesianis Theologis, quin Revelationis major & firmior sit certitudo, quam Rationis, tam subjective, quod multi Martyrium alacriter subierint pro rebus fidei, de earum veritate persuasissimi & certissimi, nemo unquam pro demonstrationibus Euclidis vel Archimedis, quam objective, quod falsum aut error possit subesse iis, quæ luce rationis humane percipimus, aut nos clare percipere arbitramur, nunquam vero iis, quæ sunt fidei & revelationis Divinae.* Atque sic & ipsa Sacra Pagina sentire nos jubet atque credere, si vel ullam mentis tranquillitatem experiri cupimus. Nunquam enim illi, qui Scripturæ aliud adjungunt Veritatis lumen, cui pari inniti posse modo dicunt, habent,  
in

in quo acquiescant, sed, veluti à ventis agitati, modo in hanc, modo in aliam ruunt opinionem, consequenter etiam errorem, in quo persistere, quam eum confiteri sæpius malunt. Optimum proinde procedendi modum esse putamus, si non nimium *rationi* nostræ fida- mus, præsertim ubi *Revelationi* contradicere videtur, quo ipso non denegamus *rationis usui* in naturalibus om- nem plane perfectionem, ac si semper misere sese habeat, verum constanter asserimus, & sæpius illam recto Lumine naturali uti, licet non semper id faciat, vel etiam facere possit, ob quod ipsum certe parem cum *revelatione* certitudinem obtinere nequit, quin potius illi semper & ubique præferatur, & sola audia- tur, ubi aliam certitudinem ipsa *ratio* suadere intendit. Quare pium audit Decretum, quod referente Celeber- rimo HORNIO Histor. Eccles. pag. 361. Ordines Hol- landiæ Anno 1656. Mens. Octob. sciverunt: *Quod si a- lique oriantur questiones, contra quas Sacra Scriptura tan- quam repugnans allegari possit, tum illicitum fore Philosophis, Scripturam secundum principia sua interpretari, sed quicquid in Sacris Scripturis revelatum sit, id, tanquam omnium cer- tissimum, pro firmo & indubitato tenendum, tametsi ratio huma- na utcumque clare & distincte sibi videatur aliud præscribere. Semper enim Divina Autoritati soli plus fidei tribuendum, quam humano iudicio.* Sufficiant hæc pro examine Philosophico, plura quidem possemus addere, nisi a- liud nos juberent Leges præscriptæ, quibus & Vitam, & calamum submissa animi veneratione conformamus.

Finimus ergo cum Eo, in cuius Nomine au-  
spicati sumus. DEO sit æterna Laus.

A M E N.



Coll. diss. A. 33, misc. 29